

1522

surum Alpes iactabat, atque ad opem laboranti provinciae fer-
rendam opportune ad futurum prædicabat; licet militibus non-
nullis in Italiam præmissis, Cremonam dedere hostibus Scudum
passus est; cœptis aut immutata voluntate, aut necessitate coa-
ctus destitit: modo omnia fere in potestatem Cœsaris concesser-
e. Quamvis vero incerti rumores de ejus in Italiam adventu
afferantur, quem initio veris futurum autumant; putamus ne,
quod nondum ita prolapsis rebus minime effecit, id modo hac
eundorum inclinatione facturum, & cum Imperatore, qui co-
piis, præsidiis, commeatu, amicitiis Insubres firmavit, pugna-
turum? Nos vero, ut Gallorum genti, quæ pene Italie oblita
videtur, ingenti Reipublicæ damno, ex quo, ac fere nullo eo-
rum commodo presto simus, terrestre imperium, quod immensa
auri vi, magnis laboribus, summis vigiliis ex hostium pene
faucibus eripiimus, in eosdem bellorum, ac turbinum anfra-
ctus conjiciemus? ac cum tota Austria domo graves, atque
hostiles iras exercebimus? ut elapsis jam induciis, quas cum il-
la Vormaciæ pepigimus, in agros, in oppida, in subditos belli
impetus, veluti turbo, feratur? ut terrestre imperium, quod la-
tissimis finibus, vel a Carolo Imperatore, vel a Ferdinando
eius fratre Austriae Archiduce continuato ambitu circumcingi-
tur, præda, sanguine, cœdeque redundet? Hæc longe ab iis
diversa consilia esse reor, quibus majores nostri banc Rempu-
blicam per tot seculorum successiones felici fato administrarunt;
qui tutiora semper speciosis consiliis prætulere; neque incertis
rerum eventibus æternum fortunam Reipublicæ objectare volue-
runt. Quamquam quid ego de dignitate loquar? quid præcla-
rius, quid illustrius, quid inquam speciosius, quam a vobis
potentissimum Imperatorem ultro pacem petere, Oratorem misi-
se, qui ad societatem ineundam, ad veterem reconciliandam
amicitiam illius nomine hortaretur, atque iuvitaret? Cui sane
oblatae opportunitati nisi obviam iverimus; si consilia hæc a-
spernati fuerimus, cito in eosdem angustias relabemur; dum
Cœsarem propinquum hostem experiemur; Gallorum longinqui,
& incerta auxilia, aliquando etiam frustra, implorabimus;
atque expectabimus; quasi vero satis laborum a nobis exantla-
tum non sit; quasi non usque ad satietatem calamitates, quæ
bellorum comites esse solent, experti fuerimus. An non satis